

*Ad S. C. R. que Maieſtatem, pro Ill^{mo} D. D. Petro
Quinones Bacc^o de Caſtro Archiepiſcopo
Granatensi, Apologeticum.*

Accipe, piſcentiſſimi Regis proles, piſſimi animi officiū. Te Pietas genuit, te pietas Lactavit: pietatis cauſam piē conſule. Eccleſiæ mœnia præ omni- bus tueris; ne collabantur Rex opulentiffime de hoſtes inſiliant; Diſtinge Fi- dei gladium. Hæc Eccleſiæ mœnia deſcripſit Ihoan. Apocalyp. 21. Et murus civita- tis habens fundamenta duodecim, duodecim lapides præſtor; et in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum Agni. Hos duodecim lapides, in quibus fundatur Eccleſia, intelligunt Sa- cri Interpretes duodecim Apoſtolos, quibus legitime ſucceſſerunt Epiſcopi. De quibus ſin- gulis. Ecce ego ponam in Sion lapidem Iſai. 28. Lapidem probatum; ſed aliis lapidem offenſionis, et petram ſcandali cap. 8. Quæ verba mirificè cadunt in Apoſtolos, et eorum ſucceſſores Epiſcopos. Sed gaudet inter alias, patrimoniſ Regii ſuffulta munificentia Eccleſia Granatensi, quæ ab ipſis incunabulis integerrimos meruit Antitiſtes, lapides probatiſſimos, quibus quaſi muro cineta, et ballo favoris Regii munita, quaſi muro, et ante murali circumſcripta ad nullius hoſtis pavebit incur- ſum. Ecce, inquit Deus, ponam petram in Sion, Petrum in regia Granatensi, la- pidem probatum, ex Petri petra exciſſum; ſed multis lapidem offenſionis, et pe- tram ſcandali. Qui tamquam alter Cephas iſtius Eccleſiæ audire viſſus eſt. Tu eſt Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Lapidem probatum; ſiqui- dem tam iuguo provocationum incurſu tentata eſt hæc petra, in quam unam tot ſæ- culi Togati aperto Marte confligere; in quam unam tot licencioſi offendiſculi impe- tum fecerunt. ſed portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. quin imo dum ad hanc petram impingunt, ab ea potius conteruntur. Matth. 21. et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem vero ceciderit, conteret eum. Hanc Eccleſiæ pe- tram tot adverſariorum ictibus oppreſſam, quis ſuſtineat, niſi piſcentiſſimus Rex; quis ſuſtenter, niſi Fidei columna?

Sed age; oblatrant adverſarii; carpunt Togati; conquiritur ſæculi ſenatus; ad Regiæ au- res perveniunt querimoniæ; Maieſtatem Pontificiam vocant obſtinati animi ambitum (hec Chriſtum præferri ſibi ambitio ſæculi patitur) integritatem ſui Antitiſtis appellant contum- tiam; ſpiritualis ſui capitis cauſam ad ſæcularum Regem advocant; illum appellant myſti- cum Eccleſiæ caput. Proh nefas! Sed gaudet Rex Chriſtianiffime, quod ad pietatis auſam res advolet. Piſcentiſſimus Rex diademati præferet mithram. Sentiant adverſarii, cui ſe ſe opponant dignitati, Angelicis humeris atrepidanda. Epiſcopale decus ſervare non am- bitus eſt, non obſtinati animi vitium, nec Caſarum luxus inventum, Ut debachatur in Eccleſiæ Prælatos inſignis Hæreſiarcha Vvicleph cap. 15. 4. Trilogi. quem optime re- fellit Vvaldenſis de ſacramentis cap. 118. Nihil ſimile, inquit, inter Caſares. Caſares ſe ipſos intruſerunt in regna, ut 1^o Julius in ſenatum; Antitiſtes eliguntur. Caſares corvi- ces eruantur ut regnent; iſti unguntur ut ſerviant. Caſares manus violentas in ho- minem iaciunt; Præſules ſacras et pacatiſſimas manus impoſitas pro benedictione ſuſcipi- unt. Quid magis diſimile quam humilitatis commendatores in ſedilibus ambitum Caſa-

AVSA



illigari preeminente de
et prelato ex sub.

reum, non dignitatem tueri? quam dignitatem servare imperant sacri canones, et expressè in Concil. Cartagin. 4.º cap. 31. iubetur ut Episcopus *sublimior* sedeat in Ecclesia. Sed Libere ferre locum Concil. Constant. quæ est 3.ª synodus generalis, ubi hæc gravissima verba referuntur cap. 14. Qui divina gratia Episcopalem sortiuntur dignitatem, ordinem celestis Hierarchiæ referunt in terris. quare merito sancimus ut digno in honore à Principibus habeantur. non oportet itaque, ut Principibus obviam longissimè procedant ab eorum Ecclesiis; nec à multis equis se descendant in occursum; aut timide abiectè que prostrant ante genua. sed cum omni modestia, quæ spiritualem deceat dignitatem, officia omnibus et debita tribuant; cui vœtigal, vœtigal; cui honorem, honorem. Siquis vero Episcopus post hanc sanctionem, suam dehonestavit dignitatem, cadens ab honore sibi per canones debito, vixerit quæ abiectè secundum *veterem* consuetudinem, amoveatur per annum. et Princeps qui in causa fuerit excommunicetur per biennium.

At qui! vetustam videat aliquis, depromimus auctoritatem! Obsolevit iam. Prodeat sacrosanctum et œcumenicum Concil. Trident. cuius verba hæc sunt. sess. 25. decret. de reformat. cap. 17. Non potest sancta Synodus non graviter dolere, audiens Episcopos aliquos sui Status oblitos Pontificiam dignitatem non leviter dehonestare; qui cum Regum ministris, Regulis, et Baronibus, in Ecclesia, et extra, indecenti quadam submissione se gerunt. et ex-luti inferiores ministri altaris nimis indignè non solum loco cedunt, sed etiam personaliter inserviunt. quare hæc et similia detestans sacra Synodus, sacros canones omnes, concilia quæ generalia, atque alias Apostolicas sanctiones ad dignitatis Episcopalis decorum et gravitatem pertinentes renovando, præcipit ut ab huiusmodi inposterum Episcopi se abstineant; mandans eisdem ut tam in Ecclesia quam foris, suum gradum et ordinem præ oculis habeant: ubique se Patres et Pastores esse meminerint. Quilibet vero tam Principibus, quam cæteris omnibus ut eos paterno honore ac debita reverentia prosequantur. Sanxerunt hæc ducenti et septuaginta Episcopi: dolebant hæc tot Ecclesiæ Patres; tot Prelati; tot mundi lumina, qui divina sapientia haustus ex sacris literis, et Sanctorum fonte potarunt; et carpit unus aut alter qui solum Bartolum *lectitavit*.

principio de heresias.

Hæc est, Rex Christianissime, dissensionis ansa; hæc occasio offendiculi: Sine schisma. ut bene Cyprianus de zelo et livore, ubi de hæresis ortu. Sac inquit ambitione præferendi se Ecclesiæ, schisma et hæresim quarunt. dum Prelatis obmurmurant, Episcopis invident, à quibus præferri egre ferunt. Sine incipit volutari superbus, exeditur zelo, calcitrat, et veneni virus in Prelatos effundit. Montani et Taciari non alia origine suborta hæresis, nisi quia se offensos à suis Prelatis dictitabant. ut refert Euseb. lib. 5. hyst. cap. 16. quod idem de Iuliano scriptum Beda in hyst. et de Valentino Hæretiarcho Tertul. lib. contra Valent. Arrius, et Rufinus lib. 10. Ecclesiast. Syst. à fide aberravit, quia Alexandrum Episcopum sibi præferri indignè tulit. Lutherus, ut refert Prætorius, et Choletus in vita Lutheri, quandam Sonoris notam adversus Episcopum Maguntinum ardentè inhaurerat, cui cum Episcopus integerrimè restitisset, reformationis prætextu in illum debachari cepit; ex quo paulatim erupit hæresis, adeo ut qui Episcopum vexabat, deinde contra Omni Pontificis auctoritatem blasphemaret; ac sensim in tam horrendum Scæris barathrum demersus est, ut in prologo adversus Ecclesiæ Statum iactet se nec mille Augustinos, nec mille Cyprianos vereri, nec mille Ecclesias. et infra. Doctrinam meam nullius iudicio submitto, neque Episcopis, neque Angelis. Ut hinc licet colligere quam facile qui Prelatos suos iniuriosius incipiunt tractare, neque ipsi venerantur Pontificem, neque Angelos. quam quæ præcipiti cursu Prelatorum contemp-



tores in schisma et haerem prolabantur. ~

Hic morbus grassari cepit hae tempestate, Rex christianissime. Ne serpat, compri-
me. ne depopuletur Ecclesiam, medere, ure, seca. Potentia saeculi non fert Antistitem nos-
trum dignitatem sui status tueri: non patitur loco cedere: se offensam dicitat; molitur cau-
sas; intentat lites; periclitatur Ecclesiae immunitas: invadunt audacter sacras ades;
diripiunt eius bona, sed non impune (que Dei est virga ferrea) Latrant, rodunt,
vexant integerrimum Archiepiscopum; quem ideo odērunt, quia non flectunt, non de-
torquent, non devinunt. Quid speres, nisi schisma? nisi haerem? ad te causam de-
volunt, pietissimum quidem Regem, sed Ecclesiastici iuris proterus alienum. Prelatorum
causa Pontificali iudicio subsumit; non Regio.

At, dicunt aduersarii, quandoque in sacris literis de rebus Ecclesiae Reges saeculi
iudicant. ut Moyses, Iosue, Dabid, Ezechias, et Iosias. imo hae de causa auctho-
ritatiue Imperatores et Reges aderant in conciliis, qui non minus aliquando conscribere,
ac si haberent auctoritatem ferendi iudicium, et potestatem in ecclesia. Haec iacent qui
sacras literas, et concilia, et Sanctorum Patrum scripta vix primoribus labris at-
tigerunt. Constat enim Moysen non solum fuisse Principem saecularem, sed spirituales.
ps. 98. Moyses, et Aaron in sacerdotibus eius. et Iosue, Dabid, Ezechias, Iosias, et alii non solum
Reges erant, sed Prophetae, quibus Deus, ut bene notat Cardin. Robert. Belarm. lib. de Eccl.
cap. 10. ~~quibus~~ aliquando Ecclesiae res peculiariter commisit. At alii Reges nunquam
se impune miscuere sacerdotalibus negotiis. Imo 2. paralip. 19. unum et alterum officium re-
iungit scriptura. Amazias, inquit, Sacerdos et Pontifex, in omnibus quae ad Deum pertinent,
praesidebat: porro Zabadias, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit quae ad Regis officii-
um pertinent. E contrario 2. paralip. 26. Ozias Rex cum Ecclesiastico officio usurpare
voluisset, a Deo lepra ignominiosissima percussus est, quae fudit in vitam finivit. Haec
officia distinguit expresse Bonif. 8. in extravag. et. de mai. et obed. quem refert Directo-
rium Inquisitorum. l. p. eod. et. pag. 34. Requiritur, inquit, in Ecclesia duo gladii. Luc. 22.
Ecce duo gladii hic. id est potestas spiritualis, et temporalis. primus in Ecclesia exercendus est,
secundus ab Ecclesia; ille sacerdotis, is manu Regum; sed ad nutum sacerdotis. oportet au-
tem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spiritali subiecta potestati. De-
cussit haec Bonif. 9. quod vero non auctoritatiue adessent concilio, videtur potest Belarm. cit.
sup. et l. de sum. Pontif. Hostig. tom. 1. cap. 24. et alii quos referunt Decretali in 2. d. d.
Thom. q. 1. ar. 10. sed propterea vocati sunt ad concilia, ut Haereticorum, si opus esset, incursum
armis coercent, et sua potentia et auctoritate executioni mandarentur acta Concilii. Unde me-
rito Principes saeculares dicuntur a Patribus Ecclesiae Custodes Legis divinae, non interpretes. quod
si quandoque subscribere; non ut defensores fidei fecerit, aut iudices Ecclesiae; sed ut sua sub-
scriptione testatum facerent se recipere illam fidem in suis ditionibus. auctoritatiue vero
nunquam interfuerunt Concilio. sic. cap. ubi nam. 96. dist. habetur Nicolaum Papam Michae-
lem Imperatorem increpasse, quod uocavit concilium contra Ignatium Archiepiscopum Constanti-
nopolitanum. et illum acriter reprehendit quod synodali conventioni interfuisset. et refertur in
2. tom. conat. in decret. Nicolai. 1. Non ergo possent iudicandi potestate Reges in negotiis Ecclesiae:
nec multo minus auctoritatem habent iudicandi Praelatos, quod auerantur sacri Canones.

Sic Alex. 1. epist. ad Orthod. Totius sanctae Apostolicae sedis apici summarum dispositiones cau-
sarum, et omnia negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt quasi capiti. Idem Damas.
Leo. 9. Marcel. et alii, quos refert Pygghius l. 4. eccles. syst. c. 9. et expressius Melchised. pp.
in epist. ad Hispaniarum Episcopos. privilegium, inquit, quod Dominus soli Petro commisit
iudicandi Episcopos, id sua etiam sedi futuris haereditandum temporibus concessit. et Sixtus. 1.

AVSA




et Eleutherius scribentes ad Gallicanas Ecclesias, aiunt institutum esse ab Apostolis, ut Episcoporum iudicia ad sedem Apostolicam referantur. quod decernit Nicæna synodus cap. 18 ubi definitur Episcopum non debere damnari absque Pontifici Romani sententia, quod idem adhibuit Iulius pp. in epist. ad Episcopos Antioch. et in Concil. Sardyen. c. 7. Calcedon. et African. et ulto in Trident. ses. 13. cap. 8. decret. de reformat. causa, inquit, Episcoporum coram Pontifice maximo referantur, et per ipsum terminentur. Et in decret. Nicol. de laicis tt. 7. dist. 28. cap. sic, circa causas minorum sacerdotum, dicitur, non debent laici Presbyterum iudicare, nec devota eius quicquam investigare, sed Episcoporum iudicio quicquid id sit, est reservandum. et cod. tt. dist. 96. Nondum Princeps secularis facta Pontificiam quorumcumque, Presbyterorumque iudicare, exemplo Constantini Imperatoris, quem aiunt dixisse, vixi si propriis oculis viderem sacerdotem dei peccantem, chlamydem meam expoliarem, ut coopererem eum, ne ab aliquibus videretur. Cuius etiam pietas erga Episcopos commendatur in 1. tom. Concil. in actis Synodali pp. in apparatu Nicænae synodus, in qua trecentis decem et octo Episcopis residentibus, admirabile factum Principis tradunt pientissimi. Et enim cum ex omnibus pene locis Episcopi convenissent, et diversis excusis inter se diversa iurgia detulissent: offerebantur Libelli; culpa proferrebantur. at ille suscepit à singulis libellos, quos simul omnes in sinu suo continens, nec quid in eis contineretur aperiens, ait ad Episcopos. Deus vos constituit sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, ideo nos à vobis recte iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter quod dei solus introitus expectate iudicium, ut vestra iurgia quaecumque sunt, ad illud divinum reserventur examen. vos enim nobis à deo dati estis dii, conveniens non est ut homo iudicet deos, sed ille solus de quo scriptum est. Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit. cum hæc dixisset omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri, ne innotesceret ulli odium, et sigillatio sacerdotum. hæc Constantinus.

Hæc ex diametro oppositus sese offert Henricus, qui, ut refert Carnotensis Episcopus in vita s. Thomæ Cantuariensis, clericorum causas ad se vocavit. ex quo maximum in tota Anglia excitavit incendium. donec invictissimus Ecclesie Prelatus sacrum caput eadem constantia, qua iniquissimi Regis legibus resisterat, impio ferro præcidendum obtulit. Deinde Alex. 3^{us} impias Henrici leges, quas de puniendo clero tulerat, damnavit. sicut et similes sanctiones alij Pontifices damnavunt, et Patres Ecclesie. sic August. epist. ad Ro. 16. reprehendit Donatistas, quod causam Episcopalem non ad Coepiscopos, sed ad Regem terrenum iudicandam detulissent. Et in Synodo Maticensi can. 9. et in Milevit. can. 19. et Toler. 3^{us} can. 13. puniuntur gravissime Clerici qui causam Ecclesie ad Principem secularem deferunt. et Beatus Martinus, ut refert Sulpitius lib. 2. sacra hist. Maximo Imperatori, novum, inquit, et inauditum nefas, ut causam Ecclesie iudex sæculi iudicaret. et Hosius Episcopus Cordubensis Imperatori Constantino hæc ausus est dicere. Ne præcipe nobis imperator, sed eapote à nobis disce: tibi enim deus imperium commisit, nobis eaque sunt Ecclesie concordit. Et Ambrosius, ut ipse de se refert epist. 33. ad sororem, Valentiniano ait. Noli te gravare Imperator, ut putes te in eaque divina sunt aliquid imperiale ius habere. publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacerdotum.

Hæc est communis mens Sanctorum Patrum, adeo ut à Principe seculari non solum iudicandi adimant potestatem, sed addat Nazianzenus (et refertur cap. suscepisti dist. 10. imperialem ipsam potestatem subreptam pontifici. et Gelasius. pp. in cap. duo quippe. dist. 96. dicit ad Athanasium Imperatorem, quod ipse imperator à sacerdotum pendeat iudicio. de quo extant in numerum exempla apud Ecclesie annales. Fabianus pp. ut tradit Eusebius lib. 6. cap. 20. Philippum Imperatorem exclusit à communione in die paschalis ob publicum peccatum, neque illum admisit quoad penitentia et confessione peccatum purgavit. Gregorius 7^{us} ut habetur in 2. tom. Concil. Henricum 4^{um} Imperatorem, qui oppresserat Ecclesie auctoritatem, privatum prius omni regia administratione, anathemate notavit. nec fuit absolutus

Castigados reges per lo-
ces.

per peccato publico



donec depositis Regali ornamento, nudis pedibus, hyeme aspera, cum gelu cuncta rigerent, venit ad ipsum Pontificem, et veniam petens absolvitur, pace prius iurando confirmata. Præluceat vero inter alios, integritas Ambrosii, qui ut refert Theodoret. lib. 5. hist. c. 17. Theodosium Imperatorem ab Ecclesia liminibus expulit, et penitentiam publicam subire coegit. Dein cum Imperator in Ecclesia ad loca sacerdotum vellet descendere, atque ibidem sedere vellet, iussit eum Ambrosius descendere, et cum plebe consistere, quod pientissimus Imperator libenter fecit.

Sed his non solum non flectuntur adversarii, sed obstinati animi errorem mordicus tenent. Adulantur tibi, Rex Christianissime; et quod tria plures avversatur, insufflunt tibi ad aures esse mysticam Ecclesie caput, ac proinde habere potestatem puniendi Episcopos, et eorum abusus plectendi. Proh scelus! Vide quam id aperte militet contra fidem. Et primo, in Ecclesia est unicum et optimum regimen, ergo gubernatur per unum caput. Sed illud, de Fide, est summus Pontifex, ergo Rex sæculi sunt membra Ecclesie, non caput. Secus enim Ecclesie corpus mysticum esset monstrum et biceps, quia haberet duo capita. Assumptum probatur, quia Monarchia, quæ reducitur ad unum caput, præstat Aristocratia, quæ est plurium Principum gubernatio, q. id regimen debetur Ecclesie. Ob quam unitatem dicitur Cant. 6. Quasi castrorum acies ordinata. In quo constituunt Ecclesie Patres. 3.ª Ecclesie notam, quod sit una, et subiciatur uni visibili capiti Vicario Christi. Sicut est una unitate fidei, et unitate baptismatis, q. et unitate capitis. sic dicitur Ihoan. 10. et erit unum ovile, et unus Pastor. et Ihoan. ultimo. Uni Petro dicitur Pascere oves meas. et Matth. 16. tu es Petrus, et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.

Calvinus institut. lib. 4. c. 11. §. 6. intendit in Ecclesia solum reperiri Democratiam quæ est populi gubernatio, quam ille constituit in senatu seniorum, cui cæteri tribuit Ecclesie potestatem; et addit maiorem auctoritatem esse cæteri seniorum, quam Episcopo. Ihoannes Brentius nobilis Hæreticus in quodam prolegomeno summam Ecclesie potestatem constituit in Principibus secularibus. Sed hii Hæretici stultè exploduntur ab Ecclesia. 1.º ex locis citatis sacre scripture, et testimoniis Sanctorum Patrum. in quibus Ecclesie caput tribuitur uni Petro, Pascere oves meas. Super hanc petram edificabo Ecclesiam. Super quem locum Hieronim. Matth. 16. et contra Iovinian. Supra Petrum, inquit, fundat Ecclesiam (non supra Reges) et Cyrill. patriarcha Alexand. in lib. Thesaur. ait quod sicut Christus accepit à Patre scriptum Ecclesie gentium, ita illud transmissit in Petrum et eius successores, quod idem definiunt Patres Convent. Chalcedon. et in 6.ª Synodo generali. Constantin. et Florent. cit. apud Domin. Bæd. 22. q. 1. ar. 10. quod etiam adstruit Anaclet. pp. et Sylvester.

Quod si dicat aliquis Principem secularum non esse quidem caput supremum Ecclesie, esse tamen immediatum caput sub papa super minores sacerdotes et Episcopos, ac propterea punire posse eorum abusus. Refutatur hic error. ps. 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super terram. quem locum sic exponit Hieron. ibi fuerunt, inquit, o Ecclesia Apostoli Patres tui, quia ipsi te genuerunt: nunc autem quia illi recesserunt à mundo, habes pro his Episcopos filios Principes Ecclesie. q. potestas super Ecclesiam immediata sub Papa est penes immediatum Principem Ecclesiasticum, quales sunt Episcopi, Archiepiscopi. 2.º non penes Reges seculares. et August. eodem modo exponit locum ps. cit. pro Patribus, id est, Apostolis, nati sunt tibi filii, id est Episcopi. Constitues eos Principes super terram. et actuum. 10. Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. et 1. corin. 12. Dominus in Ecclesia posuit primum Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores, et Doctores. et tamen Regum non meminit, non Imperatoris. q. illos excludit. quod bene notavit Damasc. 2. orat. pro ima-



ginibus. Reges, inquit, Apostolus non solum non ponit. 1.º loco, sed neque ullo alio, ut indi-
caver non esse Reges Ecclesie magistratus, sed tantum sæculi. non 9.º Reges sunt
Ecclesie caput sub Papa, sed membra. unde optimè Ambros. de tradendis Basilicis Pa-
tris Ecclesie nomen excludit à Rege sæculi. nihil, inquit, honorificentius dispondit, quam
ut Imperator Ecclesie filius esse dicatur; imperator enim bonus intra Ecclesiam, non
supra Ecclesiam est.

Hanc universam doctrinam de qua sit controversia decissit Bonif. 9.º pp. ut
refertur in Directorio Inquisitorum. 1.º p. ex extray. tit. de mai. et obed. ubi. 1.º de-
finit Ecclesie esse unicum caput, non duo, quod esset monstrui. 2.º auctoritatem tempo-
ralem spirituali subiecti potestati, quæ cum sint ordinatæ, ut spiritualis terrenam præ-
cellat potestatem, spiritualis terrenam habet instituire et iudicare, si deviat, si ve-
ro deviat potestas spiritualis, minor potestas à maiori potestate spirituali iudicatur.
sin vero deviat suprema, à solo Deo, testante Apost. 1.º corin. 2.º spiritualis homo iu-
dicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur.

Hinc sequitur manifestè in Principe seculari non reperiri aliquam rationem capitis
compositam ex temporali potestate et spirituali, quæ ratio capitis mixta ex utraque po-
testate solum reperitur in habente iuris dictionem spirituales et temporales. quam
Bonif. 9.º cit. sup. constituit in Petro, ubi requirit duos gladios in Ecclesia. Luc. 22.
Ecce duo gladii hic, id est potestas spiritualis et temporalis. In Principe autem secu-
lari unicum solum gladium constituit Paul. ad Rom. 13. Dei minister est, timere, non
enim sine causa gladium portat, pro quo intelligunt Patres potestatem temporalem.

Sed hic obijciunt adversarii. Esto, dominio directo non sit pene Reges potestas in
Personas Ecclesie, bene tamen dominio indirecto, pro ut est necesse ad gubernationem
politicam, eodem modo quo Summus Pontifex licet non sit directe Dominus temporalis
omnium Christianorum, habet tamen summam potestatem temporalem indirectam
quatenus necesse est ad gubernationem spirituales. Sed quidem in hoc est discrimen
manifestum, quia eo ipso quod res temporalis subiecta sit spirituali, ut pote inferior,
potest supremus Dominus spiritualis indirectè disporre de rebus temporalibus in quan-
tum necesse sit ad bonam constitutionem et gubernationem rerum spiritualium, quia
unum alteri cedit. è contra vero cum res spiritualis non cedat rei temporali et secu-
lari, Princeps secularis non poterit, licet conducat ad gubernationem temporalem,
neque indirecte mutare aut disporre de rebus aut Personis spiritualibus, quia
non subijciuntur rebus temporalibus, sed è contra. sicut nec finis spiritualis ce-
dit, aut subordinatur fini temporali.

Ex quo desumitur ratio ad convincendos fidei adversarios, quia potestas secularis
est longe inferior spirituali. 1.º non potest illi præesse, ne per consequens Princeps secu-
laris non potest esse caput Ecclesie, secus enim mysticum Ecclesie corpus esset monstreu-
um, quia esset caput imperfectius corpore. 2.º quia regimen Ecclesie est de ordine super-
naturali, 3.º solum debetur illi, cui specialiter à Deo auctore supernaturali committi-
tur, ut Petro, cui Iohann. ult. dicitur. Pascere oves meas, et eius successoribus. de Epis-
copis vero. act. 20. quos posuit Episcopi regere Ecclesiam Dei. de Regibus vero id non
legimus, nec de illis meminit Paul. 1.º corin. 12. cum eos recenset pene quos est po-
testas spiritualis. Dominus in Ecclesia posuit. 1.º Apostolos, deinde Prophetas, tunc Pa-
tores et Doctores. ostendat mihi adversarii in quo loco sacra scriptura, in quo consilio,
in quo Sanctorum patrum testimonio ponatur regimen Ecclesie pene Principem secu-
larem. quem patroni exhibent, nisi Calvinum? nisi Brenesium? utriusque opera comburit
Ecclesiam. quos Reges numerant sectatores, nisi Henricos? schismaticos? hæreticos? sed 3.º pro-
batur assumptum, quia potestas secularis est de iure gentium, spiritualis vero est de iure divino.

AVSA



4^o quia potestatis solum ordinatur ad pacem tuendam, et gubernationem politicam et temporalem. haec autem non gubernationem spirituales animarum. De quo Lati Cardin. Belarm. cit.

Ultimo et specialiter quod non habeant potestatem supra Episcopos probatur. 1^o ex Epist. Melchioris pp. ubi definit, Solum Petro et Successoribus commississe Deum potestatem iudicandi Episcopos. quod Eleutherius pp. credit esse traditionem Apostolicam in Epist. ad Eccles. Gall. et Trident. cit. sup. causa, inquit Episcoporum coram Pontifice maximo referantur, et per illum terminentur, pro quo vocentur in memoriam sanctorum Canonum et Patrum testimonia supra adducta. maxime illud preclarum Martini ad Maximianum. novum et inauditum nefas, ut causam ecclesiae iudex saeculi iudicaret. 2^o probatur quia potestas Episcopalis est maior Regia potestate. 3^o illi non subiacetur. sic Regem benedicit Episcopus, sicut Paulo ad Hebraeos. 7. minor a maiori benedicitur. Offert hunc locum congruentissime quidem Nicol. 1^o. et refertur in eiu Epist. Dever. qui eleganter et erudite disserens quod Praelatos suos aut iudicare aut accusare, aut leviter etiam reprehendere, nec debent, nec possunt. offert citatum locum ad Hebraeos. 7. quod minor a maiori benedicitur. per quod, inquit, innuitur quanta censura freno inferioris quique a iudicandis suis Praelatis coercendi sunt, si his neque ad benedicendum ius ullum penitus obtineant. et si ad benedicendum non est ius, quanto minus ad maledicendum? quo circa minor non accuset, nec maledicat maiorem. haec Nicolaus.

In eadem mente sunt sancti Patres, qui Episcopalem, imo sacerdotalem dignitatem praeferebant Regali potestati. et congruit praecleara Martini confirmatio. Maximus Imperator, ut refert Sulpit. in vita S. Martini, cum in convivio sederet assistente Beato Martino, et Pincerna primum calicem Imperatori ut omnium nobilissimo veller offerre, ille ad Episcopum misit: qui non recusavit, sed primus bibit. et postea non Imperatori, sed Presbytero suo calicem tradidit; nullum scilicet existimans digniorem qui post se biberet: neque integrum sibi fore si Regem Presbytero praelulisset. Chrysost. ad Diaconum suum homil. 83. in Matth. sic loquitur. si Rex, inquit, quispiam, si Consul, si is qui diademate ornatur indigne adeat, cohibe, et coerce. maiorem tu illo habes potestatem. Et Gelasius pp. ad Athanasium Augustum. Duo sunt, inquit, Imperator, quibus principaliter hic regitur mundus, auctoritas Sacra Pontificum, et Regalis potestas. in quibus tanto gravior est pondus Sacerdotum, quanto etiam praecipis Regibus in Divino sunt examine rationem reddituri. Et infra. nosti, inquit, Fili elementissimi, quod licet praesideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Praesulibus Divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis expectas. et paulo inferius. Subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse. nosti itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem.

Eccle, Rex pietissime, quam solidis innitamur Sanctorum Patrum testimoniis. Ecce pariter quam fundatam in Ecclesia petram labefaceret unus aut alter. Occlude aures. excidium regni consulunt tibi. Propone tibi ante oculos foedissimam imaginem Lachrymanda Angliae. bone Deus; et quas Trages, et quas Tragedias non excitavit in Ecclesia. Federicus 2^o. Otho 4^o. Henricus 4^o. Henricus 5^o. iam vero quis non quasi praesentem expavescat Henrici 8^o. ruinam? cuius utinam horrida effigies tibi ante oculos obversetur. Pondera, et mature pondera, Rex Christianissime, illius Regni miserandam calamitatem, quae utinam fixius cordi haereat. Florebat, florebat illa Anglorum Respublica, dum se in Ecclesiae regimen saeculare Reges non intrussere, dum omnem honorem et observantiam Ecclesiae Praelatis praestiterunt; Plebs pia, religiosa, dives, in pace ac rerum omnium copia gubernabatur. subditi non coacte, sed



libere, et sponte suis Regibus obedientiam præstabant. At postquam neque ulli immensissima
Henrici bellum titulum sibi capitis ecclesie mysticè usurpavit, postquam Prælatorum
ecclesie causas ad se vocavit; mutata est illa repente pulcherrima reipublice facies in
fœditissimam et miserandam effigiem. irrepit illico ambitio; prurit Libido; debachant
capit libertas; in exilium pulsa est religio, conscientia, pietas: ditati sunt ecclesie
lapidatores templorum spoliis: caput populus gravari tributis, vectigalibus, exactio-
nibus. adeo ut Henricus, prout ea quæ ab ecclesia depredata sunt, ipse solus plu-
ra et maiora tributa plebi imponeret, quam simul omnes ante illum Reges in-
tra quingentos annos exegerint. quas opes largissimas tam brevi temporis spatio
deperdit, ut saltem cederet pecuniam ut suæ aegritudini subiret. Hinc tot discen-
siones, invidia, neces, martyria, quæ tot ecclesie milites gloriosissime subire, dum
monstruoso ecclesie capiti, et Nabucodonosori statua constantissime resistere.

Hæc cogita, Rex pierrissime, hæc pondera, ne invictissime avorum tuorum
fidei, et Catholici Hispaniarum Regis stemati, aliquam ne levissimam quidem notam
inuras. in quo vno protectore totius ecclesie pondus, Romani Pontificis dignitas,
Prælatorum Hispaniæ authoritas recumbit. Vale Rex Christianissime.

Maiestatis tuæ Capellaneus officiosissimus Jacobus
Matute de Peña filius Theologiæ publicus professor. Gramatice.
• Pridiæ Nonas Julias anno. 1605. C

AVSA

